

2. pag. 66. seqq. Tum Remonstrantes seu Arminiani in Actis
Synodalibus ad Artic. 3. p. 11. 12. 13. 14. Ibid. p. 38. 39. 41. 42. seqq.

§. 5. Verùm hæc explicatio Calvinianorum purum,
putum commentum est. Ut enim nihil de eo dicam, quod Lo-
ca illa SCRIPTURÆ (qualia reperire est *Ezech. XXXIII. II. &*
II. Petr. III. 9.) quæ de volûtate signi Calviniani interpretâtur,
omnino importent, Deum serio velle ipsum, quod verbis ibi
expressum est; de quibus Theologos videas, cum hæc nihil ad
nos: Cuius facilè patet, hanc Calvinianorum sententiam,
statuere in DEO duas voluntates contradictorias aut contra-
rias. Quid? quod non difficile sit, hunc in modum procede-
re, talemque instituere discursum. Voluntas divina signi, si-
ve, ut apertiùs loquar, signum voluntatis divinæ aut habet si-
gnatum, ad quod referatur, aut non: si non, etiam non est vo-
luntas signi; in hoc enim quidditas sive ratio formalis signi
consistit, ut habeat signatum, sive, ut potentiæ cognoscitivæ
aliquid repræsentet: Sin habet signatum, aut cum eo consen-
tit, aut minus: Si hoc, signum voluntatis divinæ falsum erit
& nullum; non enim cum suo signato consentit, sed significat
aliud, præter id, cuius dicitur esse signum, & non exprimit id,
quod intus est decretum, adeoque si DEUS tali falso signo
adversus homines utitur, impostor erit, nec melior multò,
quàm Judas olim, qui *ab osculo* (utor verbis præfulis Hippo-
nensis) *incipiebat bellum, & per pacis indicium pacis rumpebat*
Sacramentum. SIN illud, jam signatum nihil erit aliud,
quam ipsa Dei voluntas interna, utpote quæ per illud signum
fuit extra manifestata: Atqui si hoc, tunc falsissimum est, vel-
le quicquam DEUM beneplaciti voluntate, quod nolit
voluntate signi, aut contra. Hinc Svarez, hanc Scholastico-
rum distinctionem, qua Calviniani pessimè abutuntur, expo-
nens in Operibus super *I. Thomæ l. 3. de attr. div. c. 8. p. 148.*
rectè scribit: *Signum voluntatis metaphoricè dici voluntatem,*
semper tamen in Deo indicare aliquam veram voluntatem, aliàs
non esset verum signum, neque nomen voluntatis mereretur: si-
cut homo pictus, nisi verum hominem representaret, nec analogi-
cè homo dici posset. In his ergò signis attentè considerandum est,
quàm veram voluntatem in DEO indicent. §. 6.